Tentamen medicum inaugurale, de teretibus intestinorum lumbricis ... / Eruditorum examini subjicit Carolus Daly, Hibernus.

Contributors

Daly, Charles
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1790.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/kaxzttq7

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

Teretibus Inteſtinorum Lumbricis.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

Teretibus Inteſtinorum Lumbricis.

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

CAROLUS DALY,

HIBERNUS,

Societ. Regal. Phyſ. Edin.

Societ. American. Phyſ.

Et Societ. Chirurgo-Obſtet.

Praeſes et Socius Honorar.

——— " *Dira bellum cum gente gerendum.*"

VIRG.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XC.

Viro peritiſſimo ac humaniſſimo

JOANNI CALLANAN, M.D.

Apud CORCAGIAM;

Nec non

Optimo viro

DAVIDI AIKENHEAD,

ARMIGERO,

Ejuſdem urbis,

Propter multa beneficia,

Erga ſe collocata,

Summa cum obſervantia,

Hocce tentamen

Offert

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

Teretibus Inteſtinorum Lumbricis.

ARTIFEX ipſius mundi, corpus humanum, non ſolum externis, ſed etiam inteſtinis hoſtibus, obnoxium et opportunum finxit. Interni hi hoſtes quinam ſint, et qua ratione quibuſque armis facillime poſſint devinci fugarique, quam poterit breviſſime oſtendere, conabimur.

Cum quibus ſumus congreſſuri hoſtibus, ii ſunt quaedam animantes, quae ad claſſem *Vermium*, et ad ordi-

nem *Inteſtinorum*, proprie pertinent; quaeque, quomodocunque in corpus ingeſtae fuerint vel intus ingeneratae, tamen, ſimul atque ibi infeſtae conſederint, ſuum genus, dum ab homine vivitur, procreando perpetuant. Harum animantium genera, quae potiſſimum medicinam facientibus occurrunt, tria ſunt; ſed, quoniam, in hujuſmodi diſputatione, de horum unoquoque ubere diſſerere fuſeque, ſtatuere nequimus; id itaque genus ſeligemus et tractare conabimur, quod opem a medicis ſaepiſſime petit, cuique nomen, *Teretem Inteſtinorum Lumbricum*, auctores indiderunt. Hoc genus LINNÆUS his verbis depinxit:

"Corpus teres annulatum; cingulo elevato cinctum; "longitudinaliter exaſperatum; poro laterali inſtruc- "tum."——*Syſtem. Natur. vol.* 2.

Etiamſi non ſit conſilium omnes enumerare notas, quibus hoc ab aliis genus natura diſtinxit; at ex iis tamen praecipuas perſtringere, eas praeſertim, quibus *Lumbrico Terreſtri* dignoſcatur, eſſe neceſſarium videatur.

Duo

Duo haec vermium genera, alicui, externas eorum figuras raptim et incurioſe intuenti, magnam utique inter ſe ſimilitudinem habere, videntur; ſed, quicunque ea propiore intuitu et emiſſitiis oculis inſpicit, is, inter ſe eſſe diſſimillima, cito obſervabit. Lumbricus inteſtinorum, quod ad ſpeciem externam attinet, a terreſtri hoc diſtingui poteſt; quod ei albidior eſt color, et cingulum non planum; quod non obſervatur ſeſe contrahere; et quod plerumque durus eſt et diſtentus, unde, in longum quaſi tenſus fuiſſe, eum intuenti videtur.

In fabricis eorum internis, in organis praeſertim quae perpetuae cujuſque generis conſervationi inſerviunt, adhuc major inter eos diſſimilitudo exiſtit. Lumbricorum enim inteſtinis propriorum, alii ſunt mares, feminae autem alii: Dum lumbrici terreſtres, quantum ſaltem aliquis id adhuc explorate compertum habuerit, ambiguo ſunt inter marem et foeminam ſexu, quos androgynos vulgus appellat: Quorum ſinguli, partes corporis, et ad procreandum et ad concipiendum aptas, habentes, ipſi ambigui, prolem, haud minus ambiguam, gignunt pariuntque. Praeterea, hi aliquantum in ſe

rubri

rubri ſanguinis habent, cui nihil in iis ſimile cernere poſſumus.

Quoniam igitur duae hae lumbricorum ſpecies, ſive externam earum fabricam intuemur, ſive internam introſpicimus, notis tam diſſimilibus internoſcuntur; plura, hac de re, hic dicere, magis ad laudabilem eam res Naturae cognoſcendi cupiditatem explendam, quam ad vermitantis utilitatem, conferret. Qui vero, plura, de interna utriuſque ſpeciei fabrica, cognoſcere volunt, ii, internam fabricam lumbrici terreſtris, quam WILLIS, in tertio capite ſui *de anima brutorum* libri, inciſis hujus ſpeciei vermibus perſtudioſeque obſervatis, accurate depinxit; cum ea lumbrici inteſtinorum, non minus ad vivum depicta a REDI, VALISNERI, TYSON, KLEIN, aliiſque oculiſſimis anatomicis, comparent.

Antequam hanc partem rei noſtrae relinquimus, non poſſumus quin obſervemus, non ſolum SCOPOLI, ſed LINNÆUM quidem ipſum, in maximo, hac de re, errore verſari; cum praeſertim, neminem, lumbricum inteſtinorum extra corpus humanum, explorando, inve-

niſſe,

niſſe; neque terreſtrem intra, ſecando; nobiſcum reputemus. Quocirca ſatis videtur eſſe cauſae, cur, ſummum rerum opificem, has vermium ſpecies ita deſtinato finxiſſe et fabricaſſe, ut loca, inter ſe quam diſſimillima, habitarent, crederemus. Quod hoc multo adhuc probabilius reddit, eſt, quod locus, ubi habitat lumbricus inteſtinorum, adeo eſt calidus; et alimentum, unde ab eo vivitur, eo eſt genere; ut haec, quippe quorum lumbricus terreſtris prorſus inſuetus ſit impatienſque, ſive alterutrum ſive utraque, certam huic mortem afferrent.

Vermes, de quibus hic diſputatur, certa neque longitudine ſunt neque craſſitudine. Plerumque vero, quantum explorate ſit obſervatum, non pedem longitudine, neque calamum anſerinum craſſitudine, excedunt. Fertur quidem, celeberrimum V. SWIETEN, unum ſeſquipedem longum; THOMPSON, tres fere pedes alium, vidiſſe: Caeterum fides harum rerum penes auctores relinquetur. Hoc certo ſcimus, quam rariſſime ab iis eo proceſſum eſſe longitudinis. BAGLIVI autem narrat, juvenem ROMÆ, lumbricum triginta pedes, rite

menſura

menſura aeſtimatos, longum dejeciſſe. Is auctor, quamvis ſide plerumque praeclarus, tamen, utrum propriis oculis monſtrum tam horrendum vidiſſet, ut dubitaremus idcirco adducti ſumus: Quod, ſi contemplator naturae rerum et admirator tam fere curioſus diligenſque, adeo mirabili vermem longitudine, praeſens, aſpectaſſet; eum, hunc, ejus ob novitatem, multo accuratius depictum exquiſitiuſque non fuiſſe habiturum, credi vix poteſt. Vermem itaque, cujus mentionem is fecit auctor, nihil fuiſſe aliud, quam taeniae ſpeciem, veri quam ſimillimum videtur.

Lumbrici, qui ad rem noſtram reſpiciunt, in tenuioribus inteſtinis plerumque habitant; ſed, haud raro quoque in ventriculo habitare et inteſtinis amplioribus, ſecta cadavera ſatis demonſtrant. Quin et, interdum, alia viſcera, renes veluti, hepar, lienem, pancreas, pulmones, et, ut ferunt auctores, cerebrum ipſum, infeſtant roduntque; quod, verum ſi eſſet, nullam corporis eſſe partem, ubi vermes interdum non exiſtant, ut crederemus, adduceret. Verum etiamſi, fidem auctorum in dubium ideo vocare difficile ſit, quod, multa mira de

vermibus,

vermibus, diverſis in viſceribus, a ſe obſervatis ſcripſerint; attamen, ut MONRO, ad verum perſpiciendum ſagaciſſimus, audientes monet, interdum accidat, ut, quod pro lumbrico habetur, id nihil ſit aliud, quam concretus ſanguis; qui, rubris ejus particulis quodammodo diſſociatis, in modum lumbrici figuratus fuerit.

Corpus vero humanum non ſolum eſt lumbricorum domicilium. In multis enim aliis animantium ſpeciebus; in canibus veluti, tigribus, vitulis, lupis, leporibus, porcis, equis, et praeterea multis quidem piſcium generis; eruti ſunt.

Lumbrici ſolivagi non ſunt, ſed, quaſi turmatim, et interdum numero opinione majore, in inteſtinis congregantur. Hic autem, eodem tempore, obſervandum eſt, quo grex ſit numero major, eo minorem eſſe magnitudinem ſingulorum; quod forſan eo effici poteſt, quod, plurimis mordentibus, nulli eſt ſatis. Saepenumero aſcarides receptas ad ſe ſocias ſibi aſciſcunt; rarius taeniam; et interdum quidem utraſque.

Quomodo

Quomodo lumbrici, aeque ac alii vermes, in corpus humanum ingerantur, vel ibi ingenerentur, adhuc ſumma medicorum diſſentione, et incaſſum certatur. Cum itaque rem, ſua natura adeo reconditam abſtruſamque, in varias opiniones verſare, rei noſtrae nihil plane intereſſet: Vanis conjecturis relictis, quae non differentibus conveniunt medicis ſed ſomniantibus; perpauca hic nobis dicenda ſunt de aetate, corporis habitu, coelo, diaetaque; quae, ad vermes generandos, aptiora caeteris accommodatioraque, expertiſſimi medici compererunt.

Ætas.—Lumbricos multo ſaepius eos infeſtare, qui infantiles agunt annos puerileſque, quam adoleſcentes vel aetate provectiores, omnibus notum eſt. Lumbricorum itaque generatio, plerumque, et quidem rectiſſime, inter eos collocatur morbos, quibus infantia puericiaque potiſſimum ſunt opportunae. Sunt, qui cenſent, auctores, lumbricos nunquam in eorum inteſtinis inventos fuiſſe infantum, quibus lac matris ſolum eſſet alimentum. Sed, hoc ut crederent, non tam, quae revera acciderint, res animadvertendo, quam ex praejudicata opinione, corpus, dum lacte nutritur, humanum,

propterea

propterea quod huic nullum fere commercium cum nutrimentis, ex quas terra gignit rebus, collectis, intercedit, multo, ad ova vermium in se accipiendum, ideoque ad verminationem, minus patere, adducti fuerunt. HIPPOCRATES autem affirmat, lumbricos in primis excrementis infantum recens natorum conspectos fuisse. DE LILLE quoque, suam filiolam, undecim tantum septimanas natam, et adhuc lacte matris solo nutritam, hujus generis vermiculos dejecisse narrat. Quin et DOLÆUS ait, ne quidem foetum in utero ab his esse vacuum; quod idem VALISNERI, WOLPHIUS, VAN DOEVEREN, aliique auctores affirmant. Testantibus igitur tam multis et praeclaris auctoribus, quin non modo infantes lactentes, sed etiam foetus in utero, verminent, dubitare non possumus; utcunque, verisimilem rei tam mirabilis rationem afferre, arduum et difficile inveniamus.

Etiamsi vero, ad verminandum, permulto ii sint procliviores, qui tenella adhuc gaudeant aetate, quam qui jam attigerint pubertatem, vel maturuerint: Tamen nulla est aetas, qua vermes, praesertim lumbrici, homi-

num genus infeſtum non habeant. Qui autem duos annos, ſed non amplius decem, nati ſunt, ii, quam alii, ſive minores natu ſive majores, ad verminationem procliviores obſervantur.

Corporis habitus.—Lumbrici eos potiſſimum infeſtos habent, qui, operoſam vitae conditionem, vel quia, ob deficientes vires, talem ſequi non poſſunt, vel quia nolunt, averſantes, aetatem in ſedentariis degunt artibus operiſque occupati: Qui laxo ſunt corporis habitu: Quibus languidus eſt ſanguinis lentuſque circuitus: Quorumque inteſtina lente ſe aſtringunt relaxantque; eamque ob rem, juſto alvi dejectionibus rarius vacuefacta, mucum, idoneum quo tutiſſime procreent lumbrici nidum, nimia ſtagnantem quantitate retinent. Qui igitur primam aetatulam nondum tranſgreſſi ſunt, quique *leucophlegmatico* ſunt corporis habitu, ii ſunt, quorum inteſtina lumbrici potiſſimum circumrodunt.

Saepenumero quoque iis laborantes morbis, quibus magna jam ſupervenerit debilitas; id quod, peſtilentia et putridis morbis graſſantibus, conſpici poteſt; quam

maxime

maxime vexatos habent: Morbos quoque inflammationem habentes ſaepe comitantur. Verum, utrum hos morbos concitent, vel eos conſequantur, multum eſt inter medicos dubitatum. Verum enimvero, rebus quas de hujuſmodi morbis notatas animadverſaſque habuerunt medici, inter ſe comparatis, lumbricos interdum cauſam urgentium eſſe morborum, ſed ſaepius effectum, concludere, ut mihi videtur, liceat.

Caeli quoque *conditionem*, quomodocunque hoc faciat, nonnihil ad procreationem vermium fotumque conducere, ſatis cognitum habemus. Tempeſtates enim locaque, quae hominibus ſunt inſaluberrima, quibuſque, idcirco, potiſſimum morbi graſſantur peſtifere, vermibus, ut obſervarunt medici, quam maxime ſalutaria eſſe reperiuntur. His foedis itaque animantibus hominum inteſtina maxime iis ſcatent tempeſtatibus, quae pluvioſae ſunt humidae calidaeque; atque paludoſis in locis, iis praeſertim, quae inundant ſaepe aquae et ſtagnant. Ob talem, BATAVIÆ, et tempeſtatis ſaepe et loci gravitatem, auctores ferunt, ibi a vermibus ſaepe oriri febrem

quae

quae peſtifera ipſa, cito miniſteriis hominum invicem longe lateque vulgatur.

Diaeta.—Lac eam eſſe alimenti ſpeciem, quae maxime vermibus eſt ſalutaris, quaeque eorum generationi conſervationique plurimum favet, veriſſime dici poteſt. Hoc ita eſſe, res verae ſatis demonſtrant. Infantes enim, a quibus lacte lactentibuſque, maxima ex parte, vivitur, plurimum foediſſimis his ſcatent animantibus. Saepe vitulorum quoque adhuc lactentium inteſtina incredibili fere numero admordent roduntque. Lac, ut mihi videtur, adeo ad vermium generationem conducit, quia vi, quae inteſtina ita incitet, ut ſalutiferos peragant motus, non ſatis pollet. Hunc liquorem parum ſatis inteſtina incitare, clare ex eo apparet, quod in ventriculum eorum, proſpera quidem valetudine gaudentium, aſſumptus, alvum plerumque reddit aliquanto aſtrictiorem.

Impura quoque aqua, ut recte exiſtimarunt medici, plurimum ad vermium procreationem conducere poteſt. Hinc ratio ſatis idonea redditur, cur SUIONES, prae

caeteris

caeteris fere hominum generis, vermibus infeſtentur. Apud eos enim vulgus hominum, permultum aquae, nec quidem purae, aeſtiva praeſertim tempeſtate, bibit.

Praeter lac autem et impuram aquam, caro, piſces, fructus, herbae qualiſcunque eae ſint generis, male vel condita vel cocta, ex iis multum ſi vivatur, ut inteſtina vermibus quam ſcateant, plurimum efficiant.

Rebus, quae, homines, quidem vivos, inteſtinorum hoſtium impetui tam opportunos faciant, preſſe aſtricteque memoratis, nunc ad alia, multo quae ſunt graviora, pergemus. Qua enim, aut quo modo, in corpus humanum vermes primitus invehantur, de iis quidem nil adhuc ſatis compertum narrare poſſumus; at nihilo tamen minus, ſimul atque inteſtinis potiti fuerint, ibique quaſi caſtra poſuerint, ſigna, quae edant, explorantes medicos, de eorum impetu, ſerius ociuſve certiores faciunt. Interdum autem ex ſignis editis, certo, utrum adſint vermes necne, ſcire, imprimis idcirco difficile eſt; quod, in variis hominibus, ſigna, quae exhibent hae animantes, adeo iis ſunt ſimilia quae alios

complures

complures morbos indicent, ut, quid laboranti ſit rei, omnino incertos medicos faciant. Exinde fit, ut, incipiente verminatione, nulla fere verminantis habeatur ratio; ideoque hujus hiſtoria morbi, in caligine adhuc et tenebris, magna ex parte, lateat. Rectiſſime igitur dicit ANDRE, "On n' examine pas aſſez, s' il y a des "vers dans les malades; dela vient que pluſieurs per- "ſonnes tombent quelquefois en langueur, et meurent, "ſans qu'on en ſache la veritable cauſe". Ne itaque partem rei noſtrae, tam cognitu neceſſariam, ſilentio praetereamus; ſigna, utcunque ambigua perſaepe videantur, quae vermes patefaciunt, quo fere naſcantur ordine, quamque poſſimus accuratiſſime, memorare conabimur.

ENUMERATIO SIGNORUM MORBIDORUM.

Appetitus cibi male affectus, ſeu depravatus, primum verminationis eſſe indicium fere obſervatur. Plerumque in utramque partem vehemens eſt: Nunc enim fere nullus, omnigenum fere cibum faſtidit reſpuitque;

nunc

nunc avidus et rapax, adeo ut ſuam quaſi rabiem edendi explere, vel ſatiari vix poſſit. Interdum quoque adeo eſt varius, ut verminoſi, quid ſibi ſit gratum, prorſus neſcii, alios atque nunc alios cibos, inter ſe diverſos et pugnantes, appetant. Nec non ventriculus interdum multum diſtenditur, et, eum praeſertim ſi premat aliquid, graviter dolet: Atque, eodem quoque tempore, aegrotans nauſea, *cardialgia*, crebris acidi liquoris ructibus, et vomitu, afficitur. Quin et, abdomen tumidum fit, durum, tenſumque; praecipue circa umbilicum, ubi aeger graviſſimo affligitur dolore. Ad hoc, alvus eſt interdum aſtricta; ſaepius autem ſoluta; et hoc, cum accidat, dejectiones mucoſae et interdum quidem aliquantum ſanguineae, una cum flatu et vagantibus colicis doloribus, comitantur. Praeterea, urina ſaepe albida eſt et ſpumoſa; haud raro pallidula; et interdum cum difficultate reddita et dolore. Poſtremo, ſitis plerumque intenditur; ſed nihilominus ſaliva ex ore, praeſertim nocte, plerumque manat.

Cum morbus aliquantum proceſſerit, facies multum tumeſcit et cadaveroſa evadit. Subfuſca orbita depreſ-

ſaque

ſaque foedos oculos circumit; quorum pupillae fere ſemper dilatantur. Alae naſi et labrum ſuperius plerumque plus minuſve tumeſcunt. Naſus ſaepe ſolito eſt albidior; et haud raro ita vehementer prurit, ut, unguibus ſtudio carpentibus, interdum ſanguine fluat. Noctes vel inquietae vigilantur; vel ſiquando grata quies occupet feſſum aegrotum, divellitur vel ſaltem perturbatur terrificis ſomniis, ſtridore dentium, motibus ſubitaneis et non voluntati parentibus. Gingivae tument, et anima foetet. Tuſſicula crebra aridaque, una cum continua fere ſpirandi difficultate, morbum, ſi diu perſtiterit, fere comitatur. Verminantem quoque ſaepe infeſtant vehemens capitis dolor, vertigo, et inuſitata ad animi defectionem proclivitas. His denique ſignis lenta febris; pulſus arteriarum parvus, creber, abnormis; et facies ſubinde ſanguine rubeſcens, ſuperveniunt.

Signa verminationis, quae memorata habuimus, multa quidem et gravia videantur iis, qui, miſericordes, humani generis laborantis miſereſcunt; at cum iis tamen diris comparata effectibus, quos vermes ſaepe

corpus

corpus in humanum foediſſime edunt, levia quidem habebuntur. Mala enim ſaepe acciderunt quidem funeſtiſſima, quorum tetras has animantes cauſam extitiſſe nemo exiſtimavit. Rebus autem cognitis, quas, cadavera oculatis quaſi manibus ſecando, ſatis explorate compertas medici habuerunt; nemini in dubio diutius eſſe poteſt, quin vermes ſanguinis vomitionem nonnunquam civerint: Quin umbilici et inguinum tumores effecerint, qui fuerunt pro herniis habiti, et ſaepe in tetra ulcera abierunt: Quin *ſpaſmodicos* morbos fere omnigenos, *epilepſiam*, *choream*, tetanum, *catalepſin*, alioſque complures ad idem genus pertinentes, concitaverint: Quin, denique, *paralyſin*, extremorum praeſertim corporis; amentiam; *aphoniam*; *maniam*; inteſtinorum *volvulum*; alioſque morbos quamplurimos, de quibus omnibus longum eſſet hic dicere, induxerint. His rebus animadverſis, verba celeberrimi V. DOEVEREN, eandem hanc rem agitantis, adeo nobis vera aptaque videntur, ut non poſſimus ea quin hic citemus: "Quoniam "fere nullum datur ſymptoma morboſum, quod non "oriri poſſit, et obſervatum fuerit, a lumbricis," &c.

DIAGNOSIS.

" Utinam," humanus ait BAGLIVI, " ſinguli mor-
" bi duo vel tria ſigna infallibilia haberent." Rem vero, praeclaro huic auctori caeteriſque omnibus, quorum mentes mortalia tangunt, magnopere quidem optandam, in morbo, de quo hic agitur, jactare non poſſumus. Certum revera ſignum unum habemus, quo hic aliis morbis dignoſcatur; vermes, ſcilicet, ipſos, vel eorum ſaltem partes, una cum faecibus dejectas; ſed hoc, propterea quod, vermibus quidem inteſtina admordentibus, non ſemper occurrat, minime idoneum eſt indicium, quod medicos, aegrotanti quid ſit rei, certiores faciat. Vermibus non cum faecibus dejectis, nobis eſt perſuaſiſſimum, labrum ſuperius et naſi alas extumeſcentia, nonnihil ſibi medicorum attentionis jure vindicare: " This diagnoſtic," expertus ait HOME, ' is certain, as " I have truſted chiefly to it many years, and it has " faithfully ſerved me." Ingenioſus idem auctor et eruditus dicit, " I can, even on ſeeing a patient in the

" waiting-

" waiting-room of the hoſpital, point out the diſeaſe " to the pupils." Rem ita, ut ille aſſeruit, ſeſe habere, noſmetipſi aliquando oculati fuimus teſtes; nam in quibuſdam exemplis, quae praeſentes vidimus, labrum et alas ita extumuiſſe, fide incolumi, affirmare poſſumus. Fuerunt autem qui aſſeruerunt, nullam huic ſigno fidem adhibendam eſſe; quippe quod ſcrofulae magis, quam verminationis, ſit proprium. Verum, etiamſi denegari quidem non poſſit, labrum, ſcrofula urgente, fere extumeſcere; tamen, nobis judicibus, vix, hac de re, ab aliquo errari poteſt, qui, in morbum et in habitum aegri corporis, idoneam curam intenderit.

Rozenstein, de ſignis, quae hoc malum ab aliis diſtinguunt, loquens, cenſet; ſi aliquis, qui ſubito aegrotaverit, ſtatim, poſtquam cyathum biberit frigidae aquae, revaleſcat, hoc fere certum eſſe ſignum, quo morbus verminoſus ab aliis dignoſcatur. Si hoc eſſet verum, certo, utrum vermes in inteſtinis diverſarentur necne, cognoſcere imprimis facile eſſet. Tali autem ſigno dignoturus aliquis ſi credulus fideret, multum, ne eum poſtea falleret, veremur.

Quod

Quod ſi, utrum vermes in inteſtinis hoſpitentur necne, certis indiciis comperire eſt quidem difficillimum; poſtquam, eos aliquem revera vexare, ſatis compertum habuimus, ad quodnam genus pertineant praedicare, haud minus difficile invenietur. Quibus enim ſignis teretes, taeniam, et aſcarides, ſatis internoſcamus, ea exponere, apprime idcirco arduum eſt; quod tria haec vermium genera in eodem homine interdum congregantur. Perraro autem hoſtes tam acerrimi, in exitium cujuſquam humani generis, una conſpirant; nam, etiamſi teretes perſaepe cum aſcaridibus conſocient, tamen cum taenia rariſſime. Effectus, qui omnium generum exiſtimantur communes, raro, niſi a teretibus, oriri perſuaſiſſimum habeo. Qui rem aliter ſeſe habere credunt, nobis in magno verſari errore videntur; qui, etiamſi nemo eum adhuc improbaverit vel redarguerit, nihilominus ſatis eſt dignus, quem hic patefaciamus. Noſtram, hac de re, opinionem res ipſae et experientia, optimae adminiſtrae medicinae et adminicula, ſatis firmant.

Aſcarides

Aſcarides enim inteſtina diu occupata habere poſſe, et tamen univerſo corpori nil fere detrimenti vel periculi afferre, ignorat fere nemo. Huic rei nonnihil acceſſit firmitatis ex auctoritate ſagacis HEBERDEN; qui, exercitati medici, primis ab incunabulis, his vermibus laborantis, mentionem faciens, notat; "The general "health of this patient did not ſeem to have at all ſuf- "fered from the long continuance of this diſorder, nor "the immediate inconveniences of the diſorder itſelf "to have increaſed." Idem quoque eſt auctor; "They "have been known to accompany a perſon through "the whole of a long life, without any reaſon to ſu- "ſpect that they had haſtened its end."

Taeniam quidem adeo interdum, non ſolum inteſtinorum ubi hoſpitatur fabricam rodendo, laedere, ſed etiam vires totius corporis labefactando, ut laborans magno inde diſcrimine verſetur, confitendum eſt: Verumtamen, ſaepe, aeque ac aſcarides, in penetralibus humani corporis perdiu diverſari, grave nullum hoſpiti periculum afferentem, nobis prorſus perſuademus.

Quare

Quare taenia minus corpori, quod occupatum habeat, periculi, quam teretes, afferat, facilis in promptu eſt ratio. Teretes enim adeo gignit natura foecundos, ut brevi fere innumeram prolem et edaciſſimam progenerent; quae, rimando inteſtina inſatiabilis foedandoque, corpus, quo minus ſatis nutriatur, magnopere impedit; et, hoc modo, nutrimento magna ex parte intercluſo, omnes ejus brevi conturbat functiones, atque vires infirmat. Taenia, e contrario, nulla ejuſdem ſpeciei animante ſecum convivente, inteſtina fere ſemper habitat: Quocirca, minus inteſtina admordens, ideoque functiones totius corporis ſerius conturbans, nec tam grave, nec tam praeſens hoſpiti periculum intentat. Praeterea multo, quam teretes, ſede rarius movet; et "Hinc," ut celeberrimus concludit V. SWIETEN, "ſaepe, per "plures annos, in corpore hoſpitatur abſque moleſtia "multa."

His itaque cognitis, quae multae res, a compluribus medicorum obſervatae, ſatis certa reddiderunt; haec vermium genera accurate internoſcere, momenti rem eſſe maximi, ſatis omnibus patebit. Mihi enim videtur,

aſcarides

aſcarides nunquam, taeniam raro, morbida ea ſigna concitare, quae plerumque ex teretibus naſcuntur; niſi, quod, ut ſupra dixi, raro accidit, hi cum illis, eodem in corpore, convivantur. Satis quoque ex modo dictis conſtat, horum vermium teretes et periculoſiſſimos, eſſe et frequentiſſimos.

Signa aſcaridum propria, quaeque eas ab aliis vermium generibus diſtinguunt, ſunt, moleſtus in recto inteſtino ſenſus, et pruritus ani fere intolerandus. Hi ſenſus plerumque, adventante nocte, verminoſum afficiunt; et, his urgentibus, fere adeſt quoque inuſitatus calor, qui interdum adeo intenditur, ut rectum et interne tumeſcat externeque, et moleſtiſſimus teneſmus ſuperveniat. Tales effectus fere ſemper aſcarides, ut cauſam, agnoſcunt.

Parva praeter fruſta taeniae, cucurbitae vel cucumis ſeminibus conſimilia, una cum excrementis dejecta, quibus certo, tetram hanc animantem inteſtina admordere, ſcire poſſumus; alia quaedam ſunt ſigna, quae nos, de hoc eodem, certiores faciant. Horum praecipua ſunt,

ſenſus

ſenſus inuſitatus cujuſdam, in aliis atque aliis abdominis partibus, quaſi volventis, et ponderoſi velut globi unum latus, ſaepe cum dolore, gravantis.

Signis utriuſque propriis, quae teretes et taeniam plerumque patefaciunt, curioſe animadverſis, a nobis, in unam harum animantium ab altera ſpeciem dignoſcendo, perraro errabitur. Quoties autem unum corpus hoſpitium eſt utriuſque commune, quod interdum, etiamſi raro, accidat; tum, niſi vel teretes, vel taenia fruſtillatim, inter alvum exonerandam, dejiciantur, certa indicia, quibus, una ab altera ſpecies, ſatis internoſcantur, conſpicari non poſſumus. Profecto quidem dictum fuit, ſubitaneas vermiculationes inteſtinorum et tormina, praeſertim circa umbilicum, una cum ſenſu cujuſdam intus quaſi aſſultim moventis, eſſe pro teretum indicibus fere habenda; et ſatis afferre cauſae, cur, hos intra corpus diverſari, hoſpitis penetralia foedantes, conjectura auguremur.

Nunc perventum eſt ad rei noſtrae partem, quae eſt digniſſima, ſummam cui curam impendamus: Hic enim

loci,

loci, quibus lumbrici teretes et hydrocephalos internus internoſcantur ſignis, oſtendere aggrediamur, oportet. Unum ex his morbis ab altero dignoſcere, profecto quidem res, ſuapte natura, adeo eſt difficilis et ambigua, ut, hanc ob rem, ne lamentabilis extiterit cauſa cur perierint plurimi, multum vereamur. Neque profecto hoc mirum eſt: Nam ſignis teretum propriis cum iis hydrocephali tanta intercedit ſimilitudo, ut, ſive horum ſignorum, ſive aegri aetatis, habeatur ratio, utriſque morbis tam una ſit facies, ut permultum ſit periculi, ne a medicis dignoſcentibus erretur. Exinde fit, ut ſigna hydrocephali, pro iis teretum, habita ſaepe fuerint; ideoque lethalis is morbus, oblata idonea ingraveſcendi occaſione, ſaepe eo proceſſerit violentiae, ut, quid aegrotanti eſſet rei, medicus non prius noverit; quam, morbo jam inveteraſcente, viribus decumbentis fractis, inſatiabili inhiante morte, nil, morituro opem ferendi, ſive ſpei ſive facultatis relictum habuerit.

Decus id humanitatis et ingenii lumen, FOTHERGIL, de ſignis, quibus inſigniatur hydrocephalos internus, differens, haec habet verba: " Perhaps it will be diffi-

" cult to point out any that ſhall particularly characte-
" riſe hydrocephalus internus. In moſt of thoſe, whom
" I have ſeen in this diſtemper, a pain, in ſome part
" or other below the head, was the firſt thing they
" complained of; moſt commonly about the nape of
" the neck and ſhoulders, often in the legs, ſometimes
" in the arms, but more rarely."

Quod dixit praeclarus is auctor, hoc certe habet veri, quod dolor ad imam colli vertebram relatus, ſignum exiſtimatur ſatis fere certum, quo hydrocephalos internus, a teretibus quos is nunquam comitatur, diſtingui poſſit. Verum tale tamen indicium, per ſeipſum, ad morbos hos internoſcendos minime ſufficeret; ſi minus ambigua non eſſent alia, quorum praecipua ſumus nunc enarraturi.

Hydrocephalo urgente interno, capitis dolor, tranſverſa fronte, ab uno ad alterum tempus, fere tranſvolat; dum, teretibus infeſtantibus, nulli capitis parti proprius eſt, ſed totius eſt communis. Praeterea, capitis dolor, qui ex hydrocephalo naſcitur, multo eſt gravior,

multo

multo aequabilior, et multo conſtantior, quam cujus teretes ſunt efficientes; qui interdum intermittens, inaequalibus ſpatiis interjectis, redit.

Vomitus quoque multo hydrocephalicis vehementior eſt, quam iis qui teretibus admordentur; et, praeterea, illis fere ſemper eſt alvus quam maxime aſtricta, his autem fere nunquam. Quin et, abdomen illis raro diſtenditur, vel, aliquo premente, dolet; contra, his fere ſemper.

Nec non, qui hydrocephalo laborant, lecto, in longitudinem porrecti, incumbere malunt, ſeſe quantulumcunque erigere nolentes. Subinde quoque manum obſervantur apponere ad frontem; quae ſolito ſaepe apparet prominentior.

Strabiſmus, ad hoc, hydrocephalicos quam ſaepiſſime afficit; raro eos autem, ſi unquam, in quibus teretes hoſpitantur. Illorum pupillae oculorum citius, quam horum, dilatantur; et, praeterea, palpebrae ſaepe evadunt paralyticae, quod his fere nunquam accidit.

Nares,

Nares, praeter naturam, aridae, indicium ſunt hydrocephali minime aſpernandum; nobiſque mirum, neque WHYTT, neque FOTHERGIL, id memoratum habuiſſe, videtur. Ex urina, nil, quo hos morbos, unum ab altero, diſtinguamus, colligere poſſumus.

Quod ad ictus arteriarum attinet, ex iis, hydrocephalum internum a teretibus dignoſcenti, nil fere concludere licet: Alterutro enim morbo urgente, adeo ſunt varii, mutabiles, et inaequales, ut nemo, his tantum exploratis, uter eorum urgeat, facile diſcernat. Verum WHYTT tamen hos morbos internoſcens, haud parvam ejus inaequalitatis, quae in gradu febris ineſt et caloris, quae utraque utriuſque ſunt quadantenus communia, rationem habet. Hanc enim rem agitans, haec habet verba: "In the caſe of worms in the ſtomach and "inteſtines, although the pulſe be generally quick, yet "ſometimes it is ſlower than natural, and irregular; "but when this happens, the ſkin is cool and there is "no fever. But in the dropſy of the brain, when the "pulſe becomes ſlow and irregular, neither the heat

"of

" of the ſkin, nor any other of the feveriſh ſymptoms, " are ſenſibly abated."

Nihil fere opus eſt, ut memoratum habeamus, hydrocephalum urgere ſatis conſtare ſuperque, cum ſigna ea occurrunt, quae, ex re quavis cerebrum comprimente, oriri novimus.

QUORUNDAM RATIO SYMPTOMATUM.

Quidam ſtultiſſime exiſtimarunt, naturam vermes in humano corpore finxiſſe eo conſilio et fabricatam fuiſſe, ut inteſtina crudis quibuſdam et nocivis materiis exonerarent; ea praeſertim infantum, qui, ob teneros annos, ſemet ipſos talibus exonerare cruditatibus non poſſunt. Sed hanc opinionem, utcunque primo aſpectu ſpecioſa appareat, re et effectu quam fictam vanamque comperimus. Tantum enim abeſt, ut vermes crudam in tubo inteſtinorum materiam exedant, ut, partibus ingeſtorum male concoctis faſtiditis, partes maxime nutrientes

vorent.

vorent. Hinc, ut nobis videtur, ea oritur cibi appetentia tam utramque in partem vehemens, qua, mirum in modum, affici vermibus laborantes, plerumque conſpicamur.

Facile credi poteſt, ventriculum, ſi aliquandiu fuerit cruditatibus gravatus, quae, ſaepe ingurgitando, fuerint redditae graviores, permultum ſuae firmitatis amittere; et, inde, naſci nauſeam, vomitionem, eaque mala omnia, quae, ex depravata concoctione, originem plerumque ducant.

Lumbrici in tenuioribus potiſſimum inteſtinis hoſpitantur, et ſaepe tam magna copia, ut, quo minus excrementa dejiciantur impediendo, flatu, ipſaſque inteſtinorum tunicas irritando, efficiant; ut tumeſcat et diſtendatur abdomen; utque graviſſimae eae, circa umbilicum, excitentur verminationes, quas, lumbricis inteſtina rodentibus, aegrotum tam ſaepe excruciare, cognitum habemus. Quin foediſſimae hae animantes interdum inteſtina quidem peredant, dubitari non poteſt; hoc enim modo ſibi in alias abdominis partes iter faciunt,

ciunt, ibique excitant tumores, qui tandem in teterrima ulcera abeunt. Hujus eae ſunt generis ulcerationes, quae, lumbricis inteſtina foedantibus, circa umbilicum et inguina erumpunt.

Cum lumbrici, eam cibi partem, quae plurimum in ſe habeat nutrimenti, vorent, vel ſaltem humano corpori nutriendo inutilem faciant; quin ſanguis partibus nutrientibus aliquatenus ſpolietur, ideoque arteriae minime eam nutrimenti copiam, qua ſolidae partes corporis vigentes ſuſtineantur firmaeque, afferant, eſſe non poteſt. Facilis exinde reddatur ratio vigoris omnium functionum, mirum in modum, imminuti; quod omnium fere verminantium eſſe commune conſpicamur; quodque ſeſe oſtendit animi ad defectionem proclivitate, pulſu arteriarum abnormi, pallore, macie, gingivis putribus, et paralyticis affectionibus, inter quas dilatatae oculorum pupillae, nobis opinantibus, recenſeantur.

Inuſitata fere omnigena corporis irritatio, tuſſim, ut obſervarunt medici, plerumque excitat; et, in morbo, de quo hic agitur, tuſſis moleſta, irritationi roſionibus

inteſtinorum

inteſtinorum factae, nobis judicibus, tribuenda eſt. Febris quoque verminoſa, hac eadem, ut nobis videtur, irritatione inducatur: Vel incipiat et alatur a pure, quod inteſtinis ingeneratur, abſorpto, eamque ob rem *hecticae* ſibi ſpeciem aſſumat.

Genus Nervoſum, ob mirandum conſortium, quod uni cum aliis ejus partibus intercedit, plurimum, ex aliqua ipſius parte laeſa, detrimenti accipere, nemo ignorat. Hinc tunicae inteſtinorum lumbricis intus hoſpitantibus eroſae, multos *nervoſi generis* morbos, *epilepſiam* veluti, choream St VITI, tetanum, alioſque complures ad idem genus pertinentes, efficiant. Veruntamen, roſione quidem nulla, quoſdam morbos, qui in nervorum ponuntur convulſionibus, debilitate, cujus efficientes ſint vermes, induci poſſe, veri nobis ſimillimum ideo videtur; quod, morbos, qui hujus proprie ſunt generis, ſaepe inductos haud parva ea debilitate fuiſſe, quam effecerit multum ſanguinis amiſſum, denegari non poteſt; eoque magis, quod plane nil eſt, cur debilitatem, ſanguis amiſſus an vermes eam effecerit,

diſſimili

diſſimili eſſe genere, vel diverſos corpus in humanum edere effectus, crederemus.

Denique, ut hic memoratum habeamus, vomitionem ſanguinis vel dejectionem, quotieſcunque alterutra invaſerit verminoſum, ex tunicis inteſtinorum vel roſis, vel perforatis oriri, vix opus eſt.

PROGNOSIS.

Quod vermes, praeſertim lumbrici, plurima ſaepe pariunt mala, quorum nonnulla graviſſimum periculum intentent; quodque nullum adhuc ſatis explorate cognitum habemus remedium, quo hae animantes penitus necari poſſint fugarive: Idcirco ſaepe, ut nobis videtur, nimis eſt rationis, cur ex earum vaſtationibus nonnihil infauſti infeliciſque praeſagiremus. Veruntamen, ob incredibilem fere fatuitatem cujus reddere rationem quidem difficillimum eſt; ob fere plus quam anilem morborum ignorationem, quae ſpeciem ſibi cognitionis impudenter arrogat; obque medicamina vilia et fucoſa

quae circumforanei medici, verſutiloqui, vendunt: Plebecula, morbum verminoſum neque ſublatu difficilem, neque periculoſum, exiſtimat; eamque ob rem, ſaepe minime, quam oportet curam, ad eum tollendum, impendit. Vermes autem, acres hominum generis eſſe hoſtes et quidem periculoſos, ſatis, ex quas fecerunt inteſtinorum vaſtationibus, apparet. "Verum illa," ait V. SWIETEN, "quae hactenus dicta fuerunt de ver-
"mibus, ſatis probant, ſaepius mortem his imputan-
"dam eſſe; ſive lentam, dum miſeri infantes ob nutri-
"menti defectum, tumente abdomine, vero maraſmo
"pereunt; ſive ſubitam, dum diris convulſionibus ne-
"cantur."

Exemplum morbi verminoſi mirum quidem, ſed cui quid ſimile raro occurrit, enarravit STORCK, ubi, inciſo cadavere, tres lumbrici teretes, inter tunicas jejuni inteſtini, inventi fuerunt; qui, omnibus remediis, quibus obviam vermibus ire uſitatum fuit, incolumes reſtiterant, et aegrotum tabe necaverant. Si aliquis verminoſus excrementa multo ſanguinis miſta dejicit; ſi ſanguinem evomit, et vomitio diu perſtat: Multum idcir-

co

eo extimeſcendum eſt periculi; quod haec ſigna, tunicas inteſtinorum deroſas fuiſſe, oſtendunt. Praeterea, profluvium pertinax ſi evadit, vel, purulentum, dyſenteriae ſibi ſpeciem aſſumit; tum, ne tunicae inteſtinorum non ſolum erodantur, ſed quidem ulcerentur, ideoque infauſtus morbo tandem ſit exitus, multum eſt, cur extimeſceremus: Rebus enim ita ſeſe habentibus, quin, pure ſorpto, febris *hectica*, uſitatis eam ſignis comitantibus, invadat, tardam laboranti mortem allatura, eſſe non poteſt. Dira ea mala, quae, a *nervoſo* genere laeſo et conturbato naſcuntur, quorumque nonnulla mortem interdum afferunt, eſſe, hoc in morbo, aeque, ac in aliis, non ſolum timenda, ſed interdum quidem funeſta, nemo ignorat. Deplorandum aliud malum, a vermibus quod oritur, eſt, quod, ab his etiamſi aeger liberetur, tamen morbus comitialis, quem primo excitaverint, quidem, poſt eos expulſos, interdum, vita perſtante, manet.

Inauſpicatis praeſagiis jam dictis, nunc res, quae fauſtum praemoneant eventum, memorabimus. Cum plurimos miros hujus morbi effectus, et curationes haud minus mirandas, quas, eo urgente, effectas fuiſſe accepimus,

mus, nobiſcum in animo agitamus, de ſalute verminoſi fere nunquam deſperandum eſt. Ferunt enim auctores, quoſdam, mens quos et ratio ſubito reliquerant, reſipuiſſe, ſimul ac dejeciſſent vermes. Accepimus quoque, quendam, cui vox omnino defecerat, quique faeces, inſciens, dejiciebat, vivo lumbrico terete ſurſum ejecto, ab his malis liberari. Quin et *epileptici* multis inciderunt affectus, et quidem paralytici, aliique; quos lumbrici moverant, quique, his corpore exterminatis, ſtatim ex toto deſtiterunt. Has quidem animantes, quotieſcunque, ex certis indiciis, eas inteſtina occupaſſe facti fuerimus certiores, inde, vivas vel necatas, expulſas videre, magnopere eo optandum eſt; quod fauſtam hoſpiti earum roſionum liberationem portendit. Etiamſi vero hoc modo expulſas non videremus, tamen minime idcirco de noſtro iis obviam eundi conatu deſiſtendum eſt, neque de vita laborantis prorſus deſperandum; propterea quod ſaepe inteſtinis diſſolvantur, ideoque, inter alvum exonerandam, et verminoſo ipſo et medico inſcientibus, corpore exterminentur. Fuiſſe ita expulſas, medicum certiorem cito facient ſigna remittentia vel ceſſantia omnino.

Quibus

Quibus omnibus cognitis, nobis concludere licet, lumbricos, quamvis, donec corpore expellantur, periculum extimeſcendum ſit; minime tantum intentare periculi, quantum, primo aſpectu, ferant animi ut credamus: Eorum expulſionem, cum praeſertim ſigna faciat leviora, ſemper magnopere expetendam: Et verminoſum, quo plus virium relictum habeat, et quo firmiore ſit corporis habitu, eo minus, ex inteſtinis his hoſtibus, periculi extimeſcendum habere.

Etiamſi formiduloſi utique morbi interdum invadant, tamen fere nunquam accidit, ut natura utilitatum provida, non quaedam hominibus remedia ſuffecerit, quibus vel tolli, vel ſaltem levari, poſſint. Quoties itaque morbus, de quo hic diſputatur, urgeat, ad ea remedia, quae in hominum genus beneficentiſſima natura largita eſt, quamprimum confugere oportet. Hoc ut faciamus, ſagax BAGLIVI apte et ſummopere hortatur his verbis. " Dum vel minima ſuſpicio vermium eſt, noli " tardare in exhibendis remediis; nam ſaepiſſime ſubi- " to enecant non ſolum pueros, aut infantes, ſed etiam " adultos."

CON-

CONSILIA MEDENDI.

Quo hunc morbum curemus, oportet,

1*mo*, Vermes penitus necare, et corpore exterminare;

2*do*, His necatis et expulſis, ne regenerentur praecavere.

CONSILIUM PRIMUM.

Vermes ex canali inteſtinorum, quam poteſt primum, extirpare, leni vomitorio medicamento, ſi urſerit nauſea, prius adhibito, aggrediamur oportet. Ad hoc conſilium, etiamſi nulla medicamina, quibus ſemper efficiatur prorſuſque, noverimus, at perutilia tamen plurima fuerunt reperta; quorum nunc praecipua, ordine, optimus

qui

qui nobis videatur, recenſebimus. Horum facile princeps eſt

Hydrargyrum.—Omnibus contra vermes remediis, quae Materia Medica ſuppeditat, hoc, noſtra opinione, palmam merito praeripuit. Miram utilitatem, ex provido ejus uſu, a verminantibus percipiendam, exercitatiſſimi quidem medici jamdiu compertam habuerunt, hodieque teſtantur. Noſmetipſi ſaepenumero adhiberi, et eventum fere ſemper ad ſpem prudentis medici reſpondere, vidimus. Uſus ejus non ſolum quam facillimus eſt, ſed, praeterea, optime ei convenit aetati, quae potiſſimum vermibus infeſtatur; propterea quod raro nauſeam vel aegrotationem excitat: Quae remediorum contra vermes caeterorum pleraque ideo comitantur, quia, ut major eorum modus in ſtomachum ſimul aſſumatur, opus eſt. Si itaque, ex quae prodeant indiciis, hydrocephalos internus an vermes urgeant, diſcernere non facile poſſumus; tum uſus hujus medicaminis, ei aliorum omnium, nulla interpoſita vel dubitatione vel mora, anteponendus eſt.

Argentum

Argentum vivum, in vermes vel vi *mechanica* agere, vel ut venenum, poſſe, credo, ſatis fere conſtat. Quoſdam enim his animantibus vacuefacere, motum inteſtinorum celeriorem reddendo, novimus: In aliis autem, etiamſi neque hunc motum omnino acceleraverit, neque, quantum conſpici potuit, eliminaverit vermes; tamen, haud multo poſt hoc remedium adhibitum, ſigna remittere coeperunt, et paulatim deceſſerunt omnino.

Hoc medicamentum in alias, prout cuique medicorum libuerit, formas multimoda arte, miniſtris multigenis, redactum, adhiberi ſolet.

Hydrargyrum autem *muriatum mite*, quippe cum mitiſſimo ſit ingenio, et tamen plurimum ad vermes necandos polleat, caeteris ex hoc medicamine praeparatis omnibus longe anteferendum eſt. Quantum hujus uno tempore adhibeatur, optime ex aetate verminoſi cognoſci poteſt. Doſis aſſumenda, vel forma pulveris cum pauxillo ſacchari miſti, vel boli, quod melius eſt, detur; et integretur, prout res poſtulent. Eodem tempo-

re,

re, lene quoddam catharticum, Radicem veluti Ponticam, identidem eo adminiſtrare, ut os internum ne afficiatur, utque vacuentur inteſtina, perutile ſemper reperietur.

Hydrargyrum quoque *muriatum*, pilularum forma, et idonea quantitate adhibitum, fuit, ob facultatem qua polleat vermes necandi, in iis praeſertim qui firmiore ſint aetate, magnopere laudatum. Sed, ob nimiam quae ei ineſt acrimoniam, et vim ſuam nauſeam movendi, minus, ut nobis videtur, ad communem uſum accommodatur.

Praeter jam dicta, alia ex hydrargyro praeparata, in auxilium contra vermes vocata fuerunt et vocantur; inter quae, decoctum hydrargyri, hydrargyrum cum ſulphure, hydrargyrum cum creta, aliaque complura, enumerari poſſent. Haec autem, quia fere inertia videntur, parum commodi verminoſis afferent.

Stannum.—ALSTON et MEAD primi fuerunt, qui, hoc metallum, ob vim, quae ei ineſt, taeniam extirpandi, medicorum attentioni commendatum habuerunt.

Sed multi nunc ſunt anni, cum etiam proprietas, quam poſſidet, teretum deletrix, multum laudata fuit. Omnibus aliis remediis, ut ALSTON viſum eſt, hoc praeſtat, quod ſtomachi dolorem, quem interdum efficiant vermes, citiſſime lenit et tollit.

Hoc medicamen contra vermes tantummodo vi ſua *mechanica* agere, nunc, inter omnes fere medicos, confentitur. LEWIS quidem exiſtimat, potentiam, quae, ei ineſt, vermium deletricem, fere omnino ex arſenico, quod ejus pars eſt conſtituens, pendere. Sed, hac de re, praeclarus is auctor, in magno errore verſatur. Certo enim ſcimus, ſtannum in corpus aſſumptum, per tubum inteſtinorum, natura ſua prorſus haud mutata, perlabi: Parum ei arſenici ineſſe: Et, etiamſi plus hujus contineret, tamen nihilo minus, ut celeberrimus cenſet BLACK, vi ſua *mechanica* acturum; cum aegerrime liqueſcat acidis, quorum ſine ope, arſenici, quod ei ineſt, vires, prorſus inertes, vermibus incolumibus, laterent.

Stannum

Stannum adhiberi commodiſſime, forma ecligmatis, poteſt, utiliſſime largis doſibus: Et, ſi interim purgantia ſubinde intercedunt remedia, eo ad ſpem adhibentis melius reſpondebit.

Ramenta Ferri.—Haec eodem conſilio, quo ſtannum, adhiberi ſolent: Sed etiamſi effectus, iis ſtanni ſimiles, praeſtare quidem poſſint; at periculum tamen eſt, ne, ut ait V. SWIETEN, agant "Non tantum vi *mechani-* "*ca*, ſed et virtute metallica medicata."

Spigelia Marilandica.—Quin haec planta multum contra vermes polleat, dubitari quidem non poteſt; cum praeſertim medici alii, alias regiones colentes, his animantibus quam eſſe inimiciſſimam, teſtentur. Compertum habuerunt medici, hoc ei eſſe proprium, quod raro nauſeam ciet, et tutiſſime iis in febribus, quarum vermes fuerint efficientes, praecipi poteſt. Ferunt autem quidam, vi corpus torpidum faciendi pollere; quod, ex vertigine, viſus hebetudine, convulſionibus, ex ejus uſu quae ſaepe naſcuntur, nimis apparet. Pericula vero de hac planta, quae optato fere ſucceſſu fecit HOME,

talem

talem poteſtatem nullam indicarunt. Verum enimvero, cur hanc non exhibuerit virtutem, aetas, omnigenarum fere plantarum virium hebetatrix, cauſa, ut recte cenſet is auctor, forſan exiſtat. Hoc remedium alvum plerumque ducit, et, niſi cum hoc facit, GARDEN ait, nunquam vidiſſe uſum ejus optatum effectum praeſtare. Idem comperit vomitorium medicamentum, ante hoc datum, cum ſinerent res adhibitum, ita ad ſpem reſpondere, ut nunquam negligendum eſſe cenſeat.

Adhibeatur haec planta vel pulveris forma, vel ſucci aqua bulliente elicti; ſed is, quia plus poſſit, huic anteponendus eſt. Hoc modo data, etiamſi alvum plerumque eliciat, tamen interdum hic effectus uſum ejus non ſequitur; et, cum res ita accidat, ad mitiora cathartica confugere oportet *Spigeliae* ſpecies, cui nomini eſt *anthelmiae*, adeo *Marilandicae*, modo agendi, ſimilis videtur, ut de ea nil ſpeciatim dicendum eſſe puto.

Dolichos Pruriens.—Incolae omnium fere INDIÆ OCCIDENTALIS inſularum hac planta, vermes necandi cauſa, haud parvo ſucceſſu utuntur. Dicitur eſſe

omnino

omnino innocuam; quamvis primum aſſumpta nonnihil ſenſus moleſti excitet. BANCROFT, in ſua GUIANÆ hiſtoria, enarrat, in centenis infantum unum et amplius annum natorum, quibus adhiberi ipſe vidiſſet, optatiſſimos praeſtitiſſe effectus, et inteſtinis inexputabilem fere vermium numerum faceſſiſſe. Auctore tam ſpectatae fidei teſtante, et rebus, quas animadverterunt alii, cognitis, hanc plantam plurimum contra vermes poſſe, pro certo habeamus.

Natura hanc plantam inſtruxit parvulis ſpicis, quae cuti admotae, pruritum fere intolerabilem et quidem inflammationem concitant; quam ob rem, ne, in ventriculum aſſumptae, eoſdem ibi ederent effectus, multi, quidem non ſine rationis ſimilitudine, nonnihil eſſe periculi, exiſtimaverunt. Ex frequente ejus autem uſu et periclitatione, magnae eſſe effectricem utilitatis, ſed ne minimi quidem periculi, percepimus.

Plantae hujus, hirſuta ea et tenuiſſima membrana, quae ſiliquam involvit, pars eſt, qua medici utuntur. Utiliſſime adhibetur linctus forma; et permirum videtur,

tur, neque tincturam ex ea praeparatam, neque decoctum, ullam, quantum percipi poteſt, vermes delendi virtutem poſſidere. Datur fere veſpere, et, eodem tempore, verminoſo, medicamentum catharticum ut aſſumat poſtero mane, a medico praecipitur.

Geoffraeae cortex. —Egregius obſervavit auctor †, mala e vermibus inteſtina infeſtantibus naſcentia, et ſaepius in inſulis INDICIS VESPERTINIS et vehementius, quam noſtris in regionibus, occurrere; eamque ob rem, naturam humani generis praeſidem, has inſulas incolentibus plurima, quibus extirpari poſſint vermes, remedia munifice largitam eſſe, quae nobis denegavit. Ex his Geoffraeae cortex fuit a multis magnopere laudata. Doctor RUSH PHILADELPHIÆ, nullum medicamen aeque, ac corticem modo dictam, vermibus eſſe lethalem cenſet. Permagnam ejus copiam adhibuit forma ſyrupi; et, cum nunquam ſpem ſuam irritam fecerit, ideo, haud dubium vermibus perniciem ſemper afferre, exiſtimat. Aliis autem, qui de ea periculum fecerunt, aliter viſum eſt; neque quidem, quin, niſi cautiſſime hibeatur, vehementem et vomitionem et alvi profuſionem cieat,

† Doct. Duncan, Medic. Theoret. Edin. Profeſſor.

cieat, denegandum eſt. Medici LONDINIENSES obſervarunt, urinam magnopere movere. Talem autem effectum, apud incolas inſularum INDIAE OCCIDENTALIS, nunquam, niſi nimia adhibita fuit quantitate, praeſtare, Doctor WRIGHT certiores nos facit.

Idem auctor, parvam initio quantitatem ſemper adhibere, ſuadet, et paulatim hanc augere, donec nauſeam, quae is eſt effectus, quem, ex hoc medicamine exhibito, potiſſimum habemus expectandum, concitaverit. Eodem autem tempore, quo nauſeam facit, alvum acriter ducit. Huic auctori cum Doctore DON. MONRO convenit, decoctum corticis modo dictae caeteris omnibus ex ea praeparatis anteferri debere.

Quin verminoſi magnam ex hac cortice utilitatem ſaepe perceperint, denegari quidem non poteſt; ſed laudem mereri, qua eam proſecutus eſt RUSH, minime, omnes inter auctores, conceditur. Saepenumero enim, in noſtris regionibus, omnino ſpem medicorum mentita eſt: Interdum magnorum eſt malorum efficiens: Et, etiam cum proſpere cedit, ea eſt natura, ut moleſtam

nauſeam

nauſeam faciat; quod forſan ſit cauſa, cur in frequentiorem uſum non venerit.

Sed etiamſi, de hoc medicamento haec animadvertero, neceſſarium putaverim, at ſibi tamen medicorum attentionem vindicat; cum praeſertim HAMILTON obſtetricii EDINBURGI Profeſſor, quo medicum in hoc morbo exercitatiorem haud facile invenies, ſe ſaepe id, forma ſyrupi, cum optato effectu adhibuiſſe, mihi impertiverit.

Semen ſantonicum.—— Res plurimae, quas terra gignit, amarae, facultate vermium deletrice, qua pollent, multum inclaruerunt; harum autem nulla plus, quam ſemen ſantonicum.

Putant multi medici, hoc, in vermes revera ſi agat, non directe agere, ſed indirecte; cum praeſertim, ut illis placet, nullam ei ineſſe propriam virtutem, qua ſtatim necentur vermes, videatur. Certe quidem, aiunt illi, compertum habemus, res amaras in genere minime ſtatim vermibus eſſe exitiales; ſed eatenus iis tantum

tum obesse, quatenus intestinis vigorem impertiant; eamque ob rem, ad vermes necandos vel fugandos minime accommodari.

Sed, quamvis in medicamentis amaris tanta non ponenda sit spes, ut alia, quoties opus sit, efficaciora adhibere negligamus; tamen est, cur semen santonicum, praeter amaritudinem, potentiam quoque possidere directe vermium deletricem, credatur. " In infuso satu-
" rato aqua facto, intra 5 horas, secundum BAGLI-
" VIUM, (oper. p. 50.) intra 7 ad 3 horas autem,
" secundum REDIUM, lumbrici vivi necati; quum,
" contra ea, in amarioris longe absynthii decocto, per
" 30, et, in infuso agarici, per 36 horas vivere perge-
" rent (REDIUS de animal. viv. p. 159.); ut igitur e-
" videns sit, non solam amaritiem vermibus, in santo-
" nica, infestam esse." Vid. Apparat. Medicam. clariss. MURRAY.

Cathartica.——Quicquid motum intestinorum incitat, id, aliqua ex parte, effecturum ut expellantur vermes, concedendum est. Eam ob rem, vermibus in-

feſtantibus, ad medicamenta cathartica, ea praeſertim in quibus aliquantum ineſſet acritudinis, eſt a medicis, haud quidem inepte, decurſum. In his autem adhibendis, haud parva circumſpectione et conſiderantia opus eſt. Tenellis enim infantibus vermiculatis medicamina hujus generis tuto adhiberi non poſſunt: Sed talibus remediis verminoſi, firmi cum ſunt validique, incolumes, et majore utilitatis inde ſpe percipiendae utantur.

Ut medicamentorum acrium ſingula hic enumerem, nil, ut opinor, opus eſt. Quoties autem eorum uſus requiratur, nullum aptius comperiemus et efficacius, quam jalapium cum calomelane conjunctum. Medicatae quoque aquae, in quibus ineſt vis alvum liquandi, praeſertim *Harrowgateanae*, ſi bibitae aliquandiu fuerint, vermes interdum vel necant vel fugant.

Vomitum cientia.——Interdum accidit, ut lumbrici in ſtomacho hoſpitentur; et, quoties ex indiciis, eos hoc organum corrodendi ſuſpectos habeamus, medicamentum vomitorium eſt eo adhibendum, ut per os corpore ejiciantur.

ciantur. Quidnam autem adhiberetur, et quando, constituere, penes medicum omnino relinquendum est.

Enemata.——Horum mentionem, hac in dissertatione, facere fere supervacaneum duxissem, nisi quaedam voluissem de *nicotiana* dicere. Hanc plantam in omnes partes corporis penetrare permanareque, et quidem potestate, vermium fere omnigenorum deletrice, pollere, nemo ignorat. Unum posteris exemplum prodiderunt medici, ubi nicotiana †, etiamsi alio data consilio, vermes intestinis facessivit. Quoties itaque alia medicamenta fuerunt incassum, ut aliquando accidit, tentata, hoc vel fumi vel decocti forma adhibere, nunquam a medicis negligendum est.

Medicamentis nunc memoratis, quae, propria multorum medicorum experientia, efficacissima ad verminosum morbum curandum esse ostendit, ignoscendus, spero, habebor, etsi innumeram fere copiam aliorum non recenseam; quorum singulis suus fuit auctor, sed quae spem

† Med. Obs. et Enq. vol. 2d.

ſpem medicorum tam ſaepe mentita fuerunt. Hic autem obſervandum eſt, Doctorem WRIGHT, quaedam jam cognitis medicamina adjeciſſe, quae contra vermes efficacia eſſe dicuntur. Hujuſmodi ſunt *aſclepias curaſſavica*, *epidendrum claviculatum*, diverſae *annonarum* ſpecies, aliaque complura, quae, ut hic memorem, non opus eſt. Med. Journ. vol. 8.

CONSILIUM SECUNDUM.

Cum ſatis conſtat, nil magis impedire, quo vermes minus procreentur, quam inteſtinorum firmitatem ſuſtentare; his ideo vires, infeſtantibus vermibus, et multo magis, expulſis, quamprimum et quibus poteſt modis reſtituere, conari medicos oportet.

Ad infirmitatem inteſtinorum adjuvandam, quaecunque corpus roborant, ea optime accommodantur. Ad hoc genus pertinent, cortex *Peruviana;* ex chalybe praeparata; amara; balneum frigidum, in id ſi commode

mode deſcendi poteſt; et idonea exercitatio. Eodem tempore, quo verminoſi, vel recens vermibus vacuefacti, his remediis utantur, ratio munditiae et idoneae diaetae iis habenda eſt; neque eſt forſan aliquid, quod plus proderit, quam purus aër et ſiccus.

Lenta inteſtinorum aſtrictio et relaxatio, cum vermium procreationem multum adjuvet, maximo opere vitanda ſunt. Ad hunc finem, nil forſan melius, quam parvae Radicis *Penticae* doſes, intervallis idoneis interjectis, adhibitae, aptatur.

FINIS.

E R R A T A.

P. 14.	l.	6.	*pro* Andree *lege* Andry
44.		11.	elicti *lege* eliciti
46.		15.	lethalem *lege* lethale
—		18.	dubium *lege* dubiam
—		21.	hibeatur *lege* adhibeatur
48.		3.	animadvertero *lege* animadvertere
49.		10.	3 *lege* 8
52.		8.	conſtat *lege* conſtet
53.		7.	adjuvet *lege* adjuvent